

.lxxxv.<sup>1</sup> DE COMPLETORIO IN CONFINIO DIEI ET NOCTIS .

De completis autem celebrandis etiam in patrum inuenimus exemplis . Daudid propheta dicente . si ascendero in lectum stratus mei . si dedero somnum oculis meis . aut palpebris meis dormitationem . Aut requiem temporibus meis . donec inueniam . locum domino . tabernaculum deo iacob . Quis non stupeat tantam in amore dei deuotionem animi . ut somnum sibi sine quo utique corpora humana deficiunt poenitus interdixerit donec locum . ac templum domino fabricandum in pectore suo rex et propheta reperiret . Quę res nos debet fortiter ammonere . ut si ipsi locus domini esse uolumus . et tabernaculum eius ac templum cupimus haberi . In quantum possumus exempla sanctorum imitemur . ne de nobis dicatur quod legitur . Dormierunt somnum suum et nihil inuenerunt . circa duodecimam autem horam id est in fine diei quando huius officii tempus est . credimus saluatoris corpus positum esse in sepulchro . ac per inde istius quoque cursus solemnus debet esse . celebratio . atque magnopere postulare debemus . Vt ipse qui hac hora quietem sepulchri intrauit . nobis ęternam requiem in celis concedere dignetur .

---

<sup>1</sup> *The number is preceded by what looks like an initial D that has been abandoned.*